

Johannes Assuerus Ampzing

Programma In Solemne Et Publicam Recitationem Legum Academiae Rostochiensis

Rostochii: Typis suis excrispsit Joachimus Pedanus, MDCXV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1737979608>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1737979608/phys_0001

Mecklenburg
Vorpommern



Schmidt

77




ACADEMIA ROSTO
CHIENSIS

Mecklenburgische
Landesbibliothek
Schwaan

SEPT. 1840
Schwaan





Programma
IN SOLEMNEM ET PU-
BLICAM RECITA-
TIONEM

LEGUM
ACADEMIÆ
ROSTOCHIENSIS.

Verf. Johannes Casparus



ROSTOCHII

Typis suis exscripsit Joachimus Pedanus,

ANNO M. DC. XV.



RECTOR
Academiae Rostochiensis
JOANNES
ASSVERUS
Amplingius Transilvanus,
Med. Doct. & Profess.



Audabili imprimis Majorum nostrorum consuetudine receptum est, ut Leges hujus Academiae bis quotannis publicè recitentur: tum, ut officij sui quisq; Academiae civis admoneatur; tum, ne quisquam harum ignorantiam possit quoquo modo prætexere. Volunt autem Legem (quæ Græcis νόμος appellatur) vel à *legendo*, vel à *legando* dictam, tum, quod publicè legatur, tum quod omnes & singulos obliget. Quæ posterior nominis ratio placuit *Isidoro*. Nec verò audienda est vox tyrannica *Vitoldi* Lituaniæ Ducis, qui, referente Aeneâ Sylvio lib: 4. Com. in res gest. Alphonfi, dicere solitus sit, *Plebem Legi: Legem autem Principi subjectam esse oportere*. Quanto rectius apud *Plut. Archidamus* Zeuxidami filius, roganti quinam essent Spartanae civitatis præfecti: *Leges*, inquit, ac *Legitimi Magistratus*:
gra-

26.
graviter nimirum censens, in repub. benè institutâ supremam auctoritatem esse legibus deferendam, nec vel ipsi Magistratui licere quicquam contra Leges pub. tentare. Idem affirmavit & *Solon*, unus de septem Græciæ Sapientibus, referente *Stobæo* ser. 41. quando interrogatus, quo pacto salva posset esse Respublica? respondit, *Si cives quidem Magistratui obediant, Magistratus autem legibus.* Et quàm verum sit, oportere vel ipsum Principem pati legem quam condidit: suo ipse exemplo testatum facere voluit *Manlius ille Torquatus*, qui ut *Livius* scribit, lib. 8. filium securi percussit, quod in Sannites contra edictum pugnasset, quamvis hoste profligato ad suos victoriam reportasset. Refert *Eras.* ex *Plutarcho* lib. 5. apoph. *Antiochum tertium* olim civitatibus scripsisse, ut, si quid per literas juberet fieri, quod adversaretur legibus: ne curarent, perinde ac si ipso nescio scriptum esset. Interdum enim Principes dum metuunt quosdam offendere, scribunt quæ fieri nollent. Et *Acrotatus* parentibus quid contra leges petentibus respondisse fertur: Donec essem apud vos, nullam tenebam justitiæ & æquitatis scientiam: verum ubi me patriæ dedistis, legibusq; subjecistis; conabor his magis obtemperare quàm vobis. Non ergo leges, quod *Solon* & *Anacharsis* conqvesti sunt, similes esse debent telis Aranearum, quibus infirmiora quidem animalcula hæreant, & quas valentiora percurrunt. Leges enim leguntur omnibus, & legibus ligantur omnes.

In lege definiendâ & imprimis hujus genere constituendo, mirum quantum variant Authores. Alij *rationem* vocant, alij *dictamen rationis*, alij *præceptionem*, alij *constitutionem*, alij *regulam* & *mensuram*, alij *consensum*, etc. quorum nullum non defendi potest, pro diversâ confide-

ratione rei, quæ sub vocabulo legis continetur: ut mirex
quænam reperiri tam vesanum, qui non res ipsas at-
tendens, sed rerum vocabula; cuiq; vocabulo aliquod ge-
nus proximum quærendum censeat. Ridiculum me-
herculè genus hominum, cui utiq; non elleboro solùm,
verùm etiam nasturtio opus sit. Tullio lex est *Aeternum*
quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi
prohibendiq; sapientia. Non enim tum demum incepit
lex esse, cum scripta est, sed tunc cum orta est. Orta est
autem simul cum mente divinâ: quamobrem lex vera
atq; princeps, apta ad jubendum & ad vetandum, ratio
est recta summi Jovis. Legum aliæ sunt divinæ aliæ hu-
manæ. Divinarum legum rursus alia est moralis, nempe
æternam illud, de quo Tullius loquitur, humanæ menti
inscriptum, alia ceremonialis, alia deniq; politica. Hu-
manarum alia naturalis, quæ ante hominis lapsum ad a-
mulsim congruebat cum lege divina morali: alia gentium
tam latè se pandens, quàm latè patet universum hominum
genus; alia deniq; civilis. Nec placet ulterius legum dif-
ferentias jam hoc loco pertexere.

Jam ad Legis Efficientem, & ad primos legum-La-
tores seu Inventores quod attinet: de his *Isidorum* citare
placet *lib. 5. Etymol.* *Moses*, inquit, gentis Hebrææ primus
omnium divinas leges sacris literis explicavit. *Phoronæus*
ex Græcis primus leges judiciaq; constituit. *Mercurius*
Trismegistus primus leges Ægyptijs tradidit. *Solon*
primus leges Atheniensibus edidit. *Lycurgus* Lacedæmonijs
jura ex *Apollinis* autoritate consinxit. *Numa Pompilius*,
qui Romulo successit in regno, primus Romanis leges edidit. De-
inde cum populus seditiosus magistratus ferre non posset: *De-*
cem-viros legibus scribendis creavit, qui leges ex libris *Solonis*
in Latinum sermonem translatis, duodecim tabulis exposuerunt.

File

Fuerunt autem hi: Appius Claudius, Titus Genutius, Publius Festus, Lucius Veturius, Cajus Julius, Aulus Manlius, Publius Sulpitius, Publius Curiatius, Titius Romulius, & Spurius Posthumus. Qui quidem viri post exactos reges, suqlatis legibus omnibus quæ inde usq; ab ipso Romulo latæ fuerant, Athenas missi sunt, ad inclytas Solonis leges petendas, quas Romam reversi decem eburneis tabulis inscripserunt, (numero legum, Legatorum numero respondente) & palàm pro Rostris omnibus legendas exposuerunt. Superioribus decem duæ adhuc postea anno sequenti accesserunt, authore Hermodoro Epheso, atq; ita Leges duodecim tabularum, fuerunt appellatæ. Qui de legum progressu, quo deinceps sensim & paulatim auctæ, in immensum tandem oceanum excreverunt, aliquid exactius cognoscere desiderat: ille Pandectas consulat de Orig. Juris.

Finis legum est Salus & Tranquillitas publica, dicente Tullio, *Salus Civitatis in legibus est.* Et pro Cluent. *Fundamentum Libertatis, fons æquitatis, mens & animus, & consilium & sententia Civitatis posita est in legibus.* Quin & Demosthenes *Leges Civitatis animam esse verè dixit.* Quippe sine quibus civitatem emori & interire oporteat: id quod Cicero, de Leg. nescio veriusne elegantiusne affirmavit, quando in hanc sententiam scripsit. *Cum dico Legem à me dici: nihil aliud intelligi volo, quàm imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Maria navigare aliquis vult? vel mercium transportandarum vel aliarum rerum gerendarum gratiâ? quod à piratis tutus liberum æqvor sulcat, quodq; in portum præfixum tutus, salvus & illæsus libero obtutu cursum dirigit: id utiq; leges præstant, quæ durissimis ubiq; supplicijs piratas


tas persequuntur. Rursum terrâ aliquis vult proficisci
ut à latronibus & prædonibus liber, tutum iter carpat:
utiq; id etiam legibus debetur, quæ ubivis gentium hor-
rendis judicijs & supplicijs in latrones & prædones anim-
advertunt. Deniq; intra ipsa Civitatis mœnia degere &
conversari vult quispiam? tutus à Siciarijs, liberq; à vi o-
mini injustâ & injuriâ? certè leges summam illi præsta-
bunt libertatem. Neq; enim sublata libertate leges, neq;
rursus sublatis legibus potest esse libertas. Nullis vim, nul-
lis injuriam, nullis impetum fieri patiuntur: unumquemq;
in suo gradu suaq; dignitate tuentur. Sunt enim *leges ve-
lut muri & fundamenta civitatum*: in quibus bonos quàm
diutissimè detinent, malos arcent & civitate prohibent,
neq; ad bonos appropinquare sinunt. In his salus bono-
rum: in his consilia civitatis: in his deniq; pacis præsi-
dia continentur. Nihil boni, tuti, honestive esse posset, si
jura cõtemnerentur & leges. Quod stamus ac incedimus,
quod edimus & bibimus, quod dormimus, quod deniq;
secure vitam ducimus: id totum est juris ac legum defen-
sioni tribuendum. Quæ equidem leges nisi flagrantissi-
mas hominum libidines, avaritiam, pervicaciam & cru-
delitatem cohiberent: non mulieres pudicas, non agros,
non domos, non vitam tutam haberemus. Virgines è pa-
rentum amplexibus eriperentur: per vias, per vicos, per
plateas homines percuterentur, expoliarentur, occide-
rentur: furum, latronum, sicariorum, parricidarum ple-
na essent omnia. Bonis viris aut nullus esset locus in ci-
vitate, aut turpissimis gravissimisq; semper afficerentur
injurijs. Leges sunt quæ nos à tantis periculis, à tanta
atrocitate ignominiaq; tuentur, & quæ in summo nos
otio atq; in summâ tranquillitate custodiunt, fortunas
unicuiq; suas & honorem tuentur, dignitatem asserunt,
vitam

26
vitam deniq; corpusq; & animam conservant. Adde:
quod leges non gregem solum sed & regem in officio cō-
tinent, non ipse Legislatoꝝ imperium legis excutere po-
test, non Consul, non Rex, non Dictator, non Senator,
non deniq; Sacerdos aut Presbyter. Omnes unâ legum
scuticâ impelluntur, nullam non animam supremae legum
potestati subjectam esse oportet. Nullius ordinis ratio
tam est illex aut exlex, quin à legibus in ordinem
cogi possit & debeat. Non deest eq̄idem quoddam ge-
nus hominum, nescio indoctiusne arrogantiusne, quod
cū maximè legibus subjectum esse deberet, legum ta-
men jugum omne excutere nititur, & suum *φερσεν* pro-
unicâ lege habet: Verū enim verò utile est & necessa-
rium non Reipub. solum sed Ecclesiae etiam, tam effreni
petulantiae capitrum injici, ne in perniciem tandem ser-
pat omnis *ἀταξία*, & *ἀκαθάρτης* invehat posteris omnibus
seculis deplorandam deridendamq;.

Plura hīc mihi de legum Effectis, multa etiam de le-
gum Cognatis, ac multo plurima de earundem pugnantibus,
& imprimis de miserabili *ἀκαθάρτης* dicenda forent: sed
quis tandem est hominum doctiorum, qui nesciat integri
alicuius thematis sive simplicis sive compositi requisita
in gyrum cogi non posse alicujus Intimationis? Itaq; fi-
nem hīc facio de legibus in genere dicendi, & ad speciem
accedens, significo diem crastinum legibus hujus nostrae
Academiae publicè praelendis dictum esse. Quarum,
nescio ordinemne praedicare magis debeam, an mate-
riam. Ita enim à Majoribus nostris ad sacrum Deca-
logum sunt accommodatae, aut quod verius dixerim, ex
iptius sacri Decalogi fontibus sunt deductae & derivatae,
ut sacri Decalogi quaedam veluti Expositio dici merean-
tur. Recitabuntur autem hora ante meridiem non in
Audi-


Auditorio magno : ad quas audiendas omnes omnium
ordinum Academiæ nostræ cives tum pro autoritate
cohortor, tum amicè & peramanter invito. Adeste ergo
reverendi, clarissimi, doctissimiq; Dnn. Professores, alijq;
Doctores, Theologi, Jurisconsulti, Medici, Philosophi,
Lingvarum & artium Doctores, amici & collegæ aman-
ter colendi. Adeste Ecclesiarum & divini verbi Admini-
nistri, artiumq; liberalium Magistri. Adeste deniq; nobi-
biles, generosi, doctissimi & ornatissimi Juvenes, quot-
quot studiorum gratiâ hanc urbem incolitis, & scepra
hujus Academiæ reverenter agnoscitis. Læges nostras
publicè recitari, attentis auribus audite: easdem obse-
quentibus mentium tabulis insculpите; tum deniq; ad ea-
rundem præscriptum mores, vitamq; omnem vestram
conformare, eiq; idem hoc agite. PP. sub sigillo Recto-
ratus nostri, 31. Martij 1615.






27. Nov. 1856








Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1737979608/phys_0016

Mecklenburg
Vorpommern





ppius Claudius, Titus Genutius, Publius
rius, Cajus Julius, Aulus Manlius, Publi-
Curatius, Titius Romulius, & Spurius
quidem viri post exactos reges, suq̄
as quæ inde usq; ab ipso Romulo latae
missi sunt, ad inclytas Solonis leges
omam reversi decem eburneis tabulis
mero legum, Legatorum numero re-
lâm pro Rostris omnibus legendas ex-
oribus decem duæ adhuc postea anno-
nt, authore *Hermodoro Epheso*, atq; ita
larum, fuerunt appellatae. Qui dele-
ro deinceps sensim & paulatim auctæ,
em oceanum excreverunt, aliquid ex-
desiderat: ille Pandectas consulat de

Salus & Tranquillitas publica, dicen-
tatis in legibus est. Et pro Cluent. Fun-
s, fons aequitatis, mens & animus, & con-
vitatis posita est in legibus. Quin & De-
vitatis animam esse verè dixit. Quippe
em emori & interire oporteat: id quod
scio veriusne elegantiusne affirmavit,
ntentiam scripsit. Cum dico Legem à me
ligi volo, quam imperium, sine quo nec do-
nec gens, nec hominum universum genus
ra omnis, nec ipse mundus potest. Maria
rult? vel mercium transportandarum
gerendarum gratiâ? quod à piratis
or sulcat, quodq; in portum præfixum
llæsus libero obtuta cursum dirigit: id
t, quæ durissimis ubiq; supplicijs piræ-

A 3

tas